





DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE
ARTHRITIDE,
INCONGRVI MERCVRIALIVM
VSVS EFFECTV,

QVAM
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS INDVLTV
PRO GRADV DOCTORIS
IN MEDICINA ET CHIRVRGIA
AD D. XIX. DECEMBRIS, A. R. S. MD CCLIX.
PVBLICE TVEBITVR

AVCTOR
CHRISTIANVS EBERHARDVS LOT,
WITMVNDA-FRISO-ORIENTALIS.



hic

HALAE VENEDORVM,
E TYPOGRAPHEO VESTERIANO.



DISSERTATIO INAVOVALIS

DE

A R T H R I T I D E

DIACONGRAVI MERCURIUM

VSVS EFFECTV

DE MERCVRII ACIDITATE

DE

GRADVS MEDICORVM ORDINIS BOVNI

PRO GRADV DOCTORIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

AB D. XIX. DECEMBERIS. A. R. S. C. O. S. C. O. S.

FRANC. T. S. S. I. V. S.

A. T. T. O. R.

CHRISTIANVS BRENNHARTVS BOT

WIMTSCA-FRANCO-ORIENTALIS

THEOBALDVS VESTERLING



V I R O
PERILLVSTRI. EXCELLENTISSIMO. EXPERIENTISSIMO
DOCTISSIMOQVE

DOMINO
D. ANDREAE. ELIAE
BÜCHNERO

SACRI. ROMANI. IMPERII. NOBILI
POTENT. BORVSSOR. REGI. A. CONSILII. INTIMIS
MEDICINAE. ET. PHILOSOPHIAE. NATVRALIS. PROFESSORI
PVBLICO. ORDINARIO

ACADEMIAR. CAESARAE. NATVRAE. CVRIOSORVM

P R A E S I D I

REGIAE. BEROLINENSIS. ET. MONTISPESSVLANAE. ET. ELECTORALIS
MOGVNTINO - ERFVRTENSIS. SCIENTIARVM. VTILIVM. COLLEGAE

COMITI. PALATINO. CAESAREO
ORDINIS. MEDICL. H. T. DECANO. SPECTATISSIMO

MAECENATI. FAVTORI

ET

PRAECEPTORI. SVO

TOTO. QVEM. PIETAS. IVBET. ANIMI. IMPETV

AD. TVMVLVM. VSQVE

COLEND O.

ITEMQVE
V I R O
ILLVSTRI. EXCELLENTISSIMO. EXPERIENTISSIMO
DOCTISSIMOQVE
D O M I N O
D. PHILIPPO. ADOLPHO
BOEHMERO
MEDICINAE. CHIRVRGIAE. ET. ANATOMIAE
PROFESSORI. PVBLICO. ORDINARIO
ACADEMIARVM. IMPERIALIS. NATVRAE. CVRIOSORVM
NEC. NON
REGIAE. BEROLINENSIS. ET. IMPERIALIS. PETROPOLITANAE
SCIENTIARVM SODALI
P A T R O N O
E T
P R A E C E P T O R I S V O
OMNIGENO. DEDITISSIMAE. MENTIS
CVLTV
AD. EXTREMVM. VITAE. HALITVM
REVERENDO.

VTI ETIAM

V I R O

EXCELLENTISSIMO. EXPERIENTISSIMO

DOCTISSIMOQVE

D O M I N O

PETRO. IMMANVELI

HARTMANNO

DOCTORI. MEDICINAE

ACADEMIARVM. CAESARAE. NATVRAE. CVRIOSORVM. ET, ELECTORALIS

MOGVNTINAE. ERFVRTENSIS. SCIENTIARVM. VTILIVM

SODALI

P A T R O N O

ET

P R A E C E P T O R I S V O

OMNIBVS. QVAE. OBSERVANTIAM. INDICANT

NOMINIBVS. SEMPITERNE

NVNCVANDO.

H A S C E

LABORVM. ACADEMICORVM. PRIMITIAS

GRATVM. ANIMVM

PRO. INNVMERIS. IN. SE. DELATIS. BENEFICIIS

ALIQUA. TESTATVRVS. RATIONE

INSIMVLQVE. PROSPERRIMVM. FORTVNAE

STATVM. ADPRECATVRVS

SEQVE. DE. MELIORI

COMMENDATVRVS

D. D. D

A V C T O R



DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE
ARTHRITIDE,
INCONGRVI MERCVRIALIVM VSVS EFFECTV.

PRAEFATIVNCVLA.



Aegritudinum quamuis et calami-
tatum, corpus humanum ad-
fligentium, omnem prope nu-
merum excedens, obseruetur
multitudo: causarum tamen,
eas inuitantium, tanta spectanti sese offert
cohors, vt multis, quod dicunt, parasangis
illam

P R A E F A T I V N C V L A.

illam praecurrere videatur. Philosophorum enim monumenta si obiter saltem perlustrare lubet, tritum illud, *vnus effectus plures existere posse causae*, in Medicina quoque omni ereptum ambiguitati, et, quotidiana suffragante experientia, sufficienter comprobatum deprehenditur, neminemque, nisi rerum medicarum idiotam, fugere potest. Verum enim vero cum haec veritas tanti sit momenti, vt Medicus, si fortunam ausis adspirare voluerit, alta eam mente repositam tenere, atque semper in cuiuslibet morbi causarum exploratione adplicare debeat, animum cupido incessit, cum SPECIMEN quoddam INAVGVRALE esset exhibendum, ex mea quoque parte eam, quantum possem, corroborare. Neque adeo, plane superuacaneum me, in hoc passu animo indulgentem, moliturum opus, visum mihi est, dummodo argumentum, huic conueniens proposito, dignum expositione, nec suis destitutum vsibus, eligerem pertractandum. Nescirem sane, an de quodam morbo,
hoc

P R A E F A T I V N C V L A .

hoc exquisitiori iure, ac de *arthritide*, ex incongruo *mercurialium usu enata*, praedicari possit, cum hic singularis plane eius sit causa, ab aliis, alias illam producentibus, multum discrepans, atque fusiori indagatione indigens. Hinc sequens progerminatum est institutum, ut vobis, Lectores beneuoli, *arthritidis*, ex praedictorum *remediorum incauto usu*, explicatam sistere constituerim *originem*. Iliada autem, ut aiunt, post HOMERVM canerem, si, quae de variis mercurialium ad vsus medicos praeparationibus, indeque diuersis huiusmodi remediorum obtinendis speciebus dici possunt, hic explanare animus esset, cum haec neque ad scopum pertineant, neque vires, sane exiguae, ad plura, quae a sagacissimis VIRIS circa hanc materiam nondum forte disputata sunt, addenda sufficiant. Interim tamen Lectoribus meis, accuratam de his remediis notitiam adquisitionis, nonnulla ut adeant scripta, consulere liceat, quae egregie fatis hanc com-

B men-

P R A E F A T I V N C V L A.

mentata sunt materiam ^{a)}. His itaque praetermissis, ipsam *duplici* commodissime absolui posse *capite* commentationem duco: altero scilicet, *effectus mercurialium ordinarios*, et, ab his *per incongruum eorum usum dependentibus*, *incongruos* tradente; altero autem, *arbitridem*, tanquam *incongruorum* eiusmodi *effectuum effectum* exponente. Supremum simplex veneror Numen, ut conamina haec qualiacunque, diuina, quo ad finem pertingant exoptatum, fouere velit suffragatione.

a) Conferri v. c. possunt: IO- GIUSEPPE MARIA SAVERIO
ANNIS ASTRUC *de morbis ven-* BERTINI *dell' Vso eterno e in-*
eris. Parisiis 161000XXXVIII. *terno del Mercurio, discorso*, Flo-
Libr. II. Cap. VII. pag. 143. seq. rentinae, 161000XXIV. Ioannis
CARTHEVSERVS *in Pharmacolo-* FRIDERICI NOTTERI *dissert. de*
gia. pag. 443. seq. item 473. seq. *actione mercurii in corpus huma-*
SCHVLZIVS *in Praelect. in Di-* num, Argentorati, 161000XXIX,
spensator Brandenburg. Edit. recent. et Ioannis Ernesti HEBEN-
pag. 325. seq. vbi insimul in no- STREIT *dissertat. de usu hy-*
ui Editoris annotationibus plura, *drargyri interno*, Lipsiae,
lectu digna, scripta commendantur. 161000c xxxv.

SE-



SECTIO PRIOR,

DE

MERCVRIALIVM IN CORPVS HVMA-
NVM EFFECTIBVS, ET QVOMODO ILLI
AB INCONGRVO VSV INCONGRVI
REDDANTVR.



§. I.

Quod si igitur Therapiae generalis insti-
tutiones consulas, quarum nostrum,
quod nunc tractamus, argumentum
quantulacunque est particula, demon-
stratum ibidem deprehendes, *mercurialium* in corpus hu-
manum effectus esse vel uniuersales, vel particulares. Emi-

B 2

net

net inter priores *resolutorius* maxime; qui quidem fit, dum moleculae mercuriales minimae in fluidorum viscidorum et stagnantium interstitia penetrant, adeoque cohaesionem eorum minuunt, solidaque ad fortiores stimulant contractiones. Cum enim mercurialia in minimos, quoad sensus pertingunt, globulos se diuidere et separare sinant, vt ex principiis physicis et chemicis constat; quod in corpore nostro partim liquoris salialis, gastrici et pancreatici admixtione, partim primarum viarum atque systematis vasculosi motu peristaltico perficitur: elucet exinde, ea in minimos quoque spissorum liquidorum poros sese insinuare atque penetrare posse. At enim vero, vndenam vim acquirunt? Haec profecto quaestio non admodum difficulter est expedienda. Quippe partim specifica grauitas, qua generatim omnes sine dubio corporis nostri partes antecellunt, et singulatim sanguinem, existimante Astrucio (1), quater et decies, aut, perhibente Boerhaauio, ter et decies superant, partim receptus atque impressus a solidis impulsus stimulos iisdem subdit, efficitque, vt solidas partes, sola cum illis cohaesione lenique pressione, irritent stimulentque. Vtraque haec actio maiora sumit incrementa, quando ad salia

(1) Conferri hac de re possunt et quidem Cap. VIII. Lib. II. pag. eiusdem *de morbis venereis Libri VI.* 149. Edit. cit.

lia (2), quibuscum mercurialia nupta plerumque exhibentur, respiciunt. Nam spiculis suis ingressum in tenacium humorum interstitia adiuuant, partibusque solidis fortiolem et promptiolem irritationem imprimunt, omnia corporis latibula sic peruadunt, eaque reserant obstructa.

§. II.

Hunc effectum (§. I.) inter vniuersales proxime insequitur virtus praedictorum remediorum repellent, qua, sicubi in externis corporis humani afflictionibus fuerint adplicata, materiam, easdem excitantem, ad internas retrudunt partes, eaque ratione ipsos illos affectus abigunt tolluntque. Nititur autem haec efficacia sequenti, eoque satis firmo, fundamento. Quamprimum mercuriale medicamentum vascula cutanea, cum exhalantia, tum reforbentia, attingit, protinus in ea, ob specificam, qua pollet, grauitatem, molitur ingressum,

B 3

sum,

(2) Notari hac occasione meretur, vim mercurii resoluentem vel plane, vel ad minimum valdopere infringi, si cum sulphuribus, exceptis metallorum, iungitur. Pertinent huc Cinnabarina, Aethiops mineralis, etc. quae mercurium sulphure arte iunctum praebent. De qua virium, quae mercurio insunt, suspensione exquisite differuerunt

Sammel Theodorus QVELMALZ, in *Programmate de hydrargyri viribus a sulphure in corpore humano suspensis*, Lipsiae, clō 10 cōXLVIII, et Carolus Fridericus HUNDERTMARK in *Dissert. de mercurii vini et cum salibus varie mixti summa* in C. H. *efficacitate*, etc. ibid. clō 10 cōCLIV.

sum, atque inter haec molimina materiam qualemcunque, in istis vasculis contentam, prae se interiora versus propellit, simulque, impressa vasculis, vt se viuidius contrahant, irritatione, hance actionem adleuat adiuuatque. Singulatim autem in exhalantibus canalibus id agit, vt vim eorundem systalticam, a motus principio exteriora versus vergentem, grauitate et irritatione sua superet, adeoque inter vasorum vires vitales suasque, qua pollet, proprias aequilibrium tollat. Longe autem promptius faciliusque mercurialia in resorbentes canales, nullum obicem ponentes, intrant, et vna cum reliquis retroectis humoribus progrediuntur. Sic ergo omnis haec materies, antehac in extremis cutanei habitus vasculis haerens, ob simul ingressarum mercurialium particularum et attractionem, et efficaciorum impulsu, iterum vasis se insinuat, et pedetentim per interiora corporis humani loca iterum se dispergit.

§. III.

Particulares autem horum medicamentorum effectus (§. I.) non, nisi quod actio in peculiari quadam parte imprimis obseruetur, a prioribus differunt. Horum censum subeunt *effectus saluatorius, laxans, antbelminticus et antiuenericus*; quos, quoad vires instituti-
que ratio permittunt, sigillatim pertractabimus, initium

ab

ab effectu salivatorio facturi. Multae quidem hic difficile superandae adsunt difficultates, attamen, qua ratione certi aliquid determinare possimus, periclitabimur ingenii vires. Fit vero salivario, quando particulae mercuriales in glandulis, salivae secretioni destinatis, maiorem, quam in reliquo corpore, irritationem producant, et humorum ad has partes adfluxum, adeoque salivae secretionem, augent. Atqui nunc, quare maiorem in illis glandulis, quam in reliquo corpore, irritationem mercurialia producant, et notabilem hunc atque specificum effectum fiant, causa expedienda erit atque euoluenda.

§. IV.

Maior autem haec mercurialium in glandulis salivalibus, nec non, ut videtur, in reliquis glandulis actio, a longiori eorum in iisdem mora, et, quod verisimile est, a convenientia diametri globulorum eiusmodi mercurialium cum diametro osculorum, quibus glandulosa vascula ordiuntur, dependet. Quippe ex Anatomicorum demonstrationibus constat, glandulas ex minutissimorum vasorum, varie complicatorum, congerie, praeter nervos, componi, adeoque ex legibus hydraulicis fluida, per illas movenda, ob continuam incurvaturas, anfractibus et angulis retardationem, tardius progredi. Hinc et mercurius vel solus, vel salibus

bus armatus, ad glandulas perueniens, in iis diuturniorem, quam in aliis partibus, moram neget, illasque fortius ideo irritans, copiosiore humorum adfluxum concitabit. Idemque ipse, quem animaduertimus, effectus probat. Continuans enim auctior ad has partes humorum adpulsus, diuturniorem supponit irritationem: haec vero vel a longa mercurialium in his vasculis commoratione, motuque languido, vel, si motum aliquo modo vegetum per has adsumamus glandulas, a continuo nouarum molecularum mercurialium, praecedentium loca occupantium, aduentu oriri debet. Posterius veritati repugnare, exinde patet, quia mercurialia, vti exempla prostant, in parca dosi, verbi causa, cum laxantibus exhibita, nullo interim effectu laxante tunc oboriente, nonnunquam humores versus glandulas saliuales copiose determinant, ipsamque salivationem efficiunt; quod minime fieri posset, si illas partes mercurialia cito peruaderent. Nam cum illa cum sanguine per totum corpus aequabiliter distribuantur, illa sane portio, quae ad glandulas saliuam fecernentes, sub praedictis his conditionibus, desertur, admodum exigua erit, nullamque perseverantem irritationem, quam humorum adfluxus maior et per aliquot tempus continuata saliuatio subsequitur, producere poterit. Saliuatio igitur, sic inducta, tardo mercurialium per has glandulas progressui adscribi debet.

At-

Attamen, vt iam monuimus, istius effectus causa non solus motus retardatus est existimandus, sed globulorum mercurialium cum vasorum diametris aequalitas et conuenientia hic quoque symbolum suum confert. Soluuntur scilicet, vt ipsis chemicis experimentis ostendi probarique potest, ad certum quendam gradum, in quo subsistit eorundem resolutio: quae exacte tanta esse videtur, vt inde eius magnitudinis efficiantur globuli, quibus, quae subeunt, glandularum salialium oscula perfecte explentur. Quod licet adsertum non omni absolutissimorum ratiocinatorum, quem Philosophi requirunt, rigore demonstrari firmissimumque reddi possit, omnium tamen reliquarum hypothesium, quae ad huius rei illustrationem explicationemque adferri solent, est veri simillima, plurimumque lucis explicandae saluanti mercurialium virtuti adfundit. Quodsi enim moleculae mercuriales horum vasculorum oscula exactius reliquis in corpore explent, vti per adsumtam hypothesin explere videntur, actio in illa maior et velut specifica facile concipitur. Dantur enim hic plura contactus puncta, quibus fortior irritatio, adeoque auctus humorum adfluxus succedat, necesse est. Deinde quoque resolutoria mercurialium virtus (§. I.) copiosiori saliuae secretioni insigniter opitulatur: ad quam etiam accedit permeabilitas, quae in his vasis ob continuam saliuae contingit exspuitionem, maior, quam

C

in
Conspectus Astruc. deat. Lib. II. Cap. VIII. pag. 176.



in aliis, lymphae secretioni dicatis partibus; in quarum minimis extremisque tubulis lymphaticae moleculeae satis diu interdum obhaerent (3).

§. V.

Ex instituto itaque ordine iam accedimus ad effectum horum remediorum laxantem (§. III.). Perficitur is impuratum viscidarum, in primis viis stabulantium, attenuazione, ipsarumque harum partium forti stimulatione. Mercurialia, hoc in casu, sola adsumta, parum valent, aluumque adstrictam non aperiunt, nisi forte intestinorum qualiscunque portio fecibus perfecte fuerit oppleta: sed, si laxans intentatur intestinali tubo effectus, salibus, aut resinosis quibusdam, efficacius primas vias stimulantibus, medicinis iunguntur, dirigentium, quae veteres dixerunt, vice funguntur. Salia enim aequae, ac resinae quaedam, acido sale abundantes, ob spicula, ventriculi et intestinorum fibris facile adhaerentia, moleculas mercuriales secum trahunt artiusque internae intestinorum tunicae, quippe summe irritabili, adplicant, efficiuntque, ut mercurialia, tam mole sua, quam aucta hinc adhaesione, motum ventriculi intestinorumque peristalticum vegetiorem reddant. Accedit etiam, quod cruditatum viscidarum resolutio eximie adiuuatur, dum salia mercurialibus viam, qua

(3) Conferatur ASTRUC in *Libr. citat.* Lib. II. Cap. VIII. pag. 156.

qua ingrediantur expeditius, pandunt. Haec quando eueniunt, maior solito ac frequentior ad aluum exonerandam procliuitas oritur, effectus laxantis, ab istis remediis hac ratione prouenientis, mater.

§. VI.

Verum enim vero possident quoque mercurialia vim anthelminticam (§. III.), sensu tamen latiori acceptam. Comprehenduntur scilicet sub anthelminticorum titulo non solum vermes enecantia, sed eos etiam expellentia remedia. Ad priorum classem mercurialia non referri possunt, cum, nec experientia teste, vñquam aliquid eiusmodi praestiterint; nisi forte aquam, cum mercurio crudo coctam, quae ab HOFFMANNO (4) eam virtutem continere adferitur, excipere placeat: nec ex partibus, insectorum generi eiusmodi inimicis, componantur. Efficacia illorum certior, quin

C 2

prae-

(4) Confer. HOFFMANNI *Medicin. rational. Systemat.* Tom. II. p. 185. Quod si vero aqua eiusmodi vermes enecat, quod nunquam experientia in subiectis sensibilibioribus et minori colluue verminosa laborantibus confirmatur, a principio metallico peregrino, mercurio adhaerente, & sub coctione cum aqua remixto, hoc dependere, verisimile videtur. Ean-

dem quoque operationem Celeberrim. GRASHVIS in *Epistola*, ad CL. Virum MATY, *Diarii Britannici*, vulgo *Journal Britannique* dicti, Auctorem, data, adsumit, dum mercurii eximium in decocto vsu Lulii venereae tollendae commendat: qua de methodo conferri etiam possunt *Commentarii de rebus in Medicina et Scientia naturali gestis*, Vol. IV, Part. I.

praesentanea, reperitur in aemortua vermium colluue exturbanda; in quantum nimirum vi potenter laxante gaudent (§. V.). Omnibus enim fere reliquis remediis in mucis, vermes inuoluentis, intestinorumque latera obfidentis resolutione, palmam praeripiunt.

§. VII.

Deinde a mercurialium vsu *antivenereus*, qui vulgo dicitur, effectus sperari potest (§. III.). Quod, quicquid est virtutis, haec remedia exserunt, dum humores lymphaticos spissos et stagnantes attenuant, eosque modo directe, modo indirecte, e corpore proscribunt. Humores enim in morbis venereis spissos ac tenaces existere, nemini mirum videbitur, qui considerat, summe probabilibus euinci posse argumentis, alibi exponendis, miasma, cui originem debent, acidae esse indolis, glandulosasque potissimum corporis partes ab eodem occupari. Proinde, quum mercurialia potenter resoluentem possident vim (§. I.), dubium esse non potest, quin eandem in spissos venereorum humores efficacitatem sint exercitura. Altera mercurialium, uti monuimus, dos in impurorum resolutorum succorum eliminatione, ipsiusque, iis inhaerentis, miasmatis venerei eiectione consistit. Directe hoc praestant, dum saluationem excitant, aut, quod nonnunquam accidit, gonorrhoeae malignae vel fluoris albi maligni

gnio (§5) excretionem largiorem reddunt. Indirecte autem, cum tanta nimirum non exhibita fuerunt quantitate, quanta ad praedictos effectus proritandos requiritur, omnia colatoria patula, omnesque vias permeabiles reddunt, vt, si vires corporis peregrinis liquoribus eliminandis pares adhuc fuerint, illi a laudabilibus succis segregentur, atque e corpore propellantur.

§. VIII.

Enumeratis sic breuiter (§. I - VIII.) praecipuis mercurialium in corpus humanum effectibus, nunc iam

C 3

di-

(5) Liceat hic, quo huic adfero pondus addamus, ad *Patroni et Praeceptoris nostri, summa obseruantia prosequendi, Perillustri BŪCNERI*, obseruationes, notatu dignissimas, prouocare, quas ex ipso incomparabilis huius Viri ore acceptas referemus. Foemina quaedam, quae satis largam per intervalla mercurii dulcis adsumserat portionem, nullum inde experiebatur auctiorem salinae fluxum, sed fluor albus malignus copiosius prodebat, omnesque simul impuritates venereas educebat. Similiter quoque viri cuiusdam ab eodem mercurii dulcis vsu organa salinae secretoria nullo modo adsciebantur, verum largius gonorrhoeae malignae profluium omne curationis absol-

vebat punctum. Quid? quod ipsa *Iunckeriana methodus* lucem veream sine hydrargyrosi curandi, (quae et in praedicti Viri celeberrimi *Methodo specialissima manuscripta*, hic apud nos satis notissima, deprehenditur exposita, et publice quoque enarrata est in *Hieronymi Ludolfi Dissertatione de Gonorrhoea*, Erfurti cloſſecLI emissa, §. XXV.) adfert nostri luculentissimum locupletissimumque est documentum. Refert quoque *ASTRUC* in *Traſſat. cit.* Libr. VIII. pag. 158, nem veneream per mercurialia absque salinatione interdum sanari, et pag. 157. rationes nonnullas allegat, quare hic, tam familiaris alias effectus, non omni succedat tempore.

dispiciendum erit, quomodo hi ab incongruo eorum
 vsu incongrui reddantur. Atqui hoc commodissime
 fieri poterit, si, quae ad vsum incongruum spectant,
 praemittantur, simulque rationes subiungantur, quibus
 exinde incongrui siue noxii effectus propullulare anim-
 aduertuntur. Ad *vsu* igitur mercurialium *incongruum*
 primo attenti, eius notionem, quo omnia, ad illum
 facientia, eo melius perspici possint, statim fumus
 subministraturi. Est vero is mercurialium vsus, qui
 contraindicantibus licet obuiis, est institutus. Nostri
 ergo interest propositi, vt contraindicantia haec figilla-
 tim perlustremus. At enim vero, cum eorum nume-
 rus tantus sit, vt, si omnia exponere vellemus, scripti-
 uncula praesens iustos egressura esset limites, delectus
 inter ea erit habendus. Quod si etiam arctiores huius
 scripti cancellos non respiciamus, laborem tamen, quo
 aequo iure superfedere possumus, molituri essemus, quia
 non omnium horum contraindicantium explicatio, sed
 quorundam tantum, adfectus, cuius causa huncce labo-
 rem suscepimus, origini lucem adfundit. Missis ergo
 specialibus, vtpote suo loco, si quae ad rem nostram
 faciunt, exponendis, generalia considerabimus.

§. IX.

Contraindicantia itaque duplici potissimum nitun-
 tur fundamento: altero, quod ad ipsam horum medi-
 ca-

camentorum indolem respicit, altero vero, quod a diaetae regiminisque defumitur ratione. Ad prius istud momentum pertinet inprimis, quando mercurialia non rite praeparata sunt, aut nimis larga frequentique offeruntur dosi. Posteriori vero adnumerari debent vitia quaedam in rebus vulgo non-naturalibus dictis commissa. Sub mercurialium haud rite praeparatorum nomine ea hoc loco inprimis complectimur, quae cum salibus parantur (6), horumque vel nimia copia adiuncta abundant, vel iisdem, licet iusta quantitate admixtis, minus arcte legitimeque sunt vnita. Virulentam haec obtinent indolem, eamque manifesto satis diris suis in corpore effectibus declarant. Ordinariorum enim effectuum loco, quos haecenus (§. I-VIII.) indicauimus, plane exorbitantes, vti hyperemeses, hypercatharfes, dolores spastici vehementes, saluationes nimiae, etc. subsequuntur, a principio salino abundante originem trahentes. Nimiae quoque mercurialium, decenti quamuis modo praeparatorum, doses, ob ipsam copiam eorum effectus infecuros reddunt. Quantitas enim supplere valet, quae actiuitas abnuat. Fieri autem plerumque solet, vt non omnia pathemata alle-

gata

(6) Accommodantur quidem notabiles non inferant noxas, et etiam mercurialia vltibus medicis posteriora raro adhucdum exhibeantur, ea in hoc passu silentio per sulphura et martialia adiuncta, premere, haud absolum erit. verum cum priora, licet circa praeparationem quaedam omiffa fuerint,

gata eodem oboriantur modo, nec tantum corpori inferant detrimenti (7).

§. X.

Abfinere autem porro a mercurialium vsu oportet, si exacta rerum quarundam non-naturalium (§. IX.) ratio negligitur. Sed, vt facilius haec pateant, distinctius ea exponere iuuabit. Contendamus ergo primo, regimen inconueniens, quominus mercurialia in vsum vocari queant, contraindicans constituere. Duplici autem respectu regimen peccare potest, vel, dum nimis *frigidum*, vel nimis *aestuofum* obseruatur. Quae enim per periphericam excretionem e corpore exturbentur impuritates, quaeque, si *regimen* iusto *frigidius* eligatur, ex iis retentis in corpus redundent noxae, aliunde ex principiis physiologicis, semiologicis et pathologicis notum esse oportet. Iam vero euincemus, has noxas maiora sumere incrementa, si mercurialia his sub circumstantiis aegrotantibus exhibentur. Moleculae enim mercuriales, tunc acrimoniam contrahentes, vires istarum sordium sustentant atque augent. Prius probant, partim effectus, iis, a mercuria-

(7) Confer. ASTRUC libr. IV. cap. VIII. p. 460. Quod etiam pertinet memorabile quoddam exemplum, quod recensuit Melchior Ernestus WAGNITE, in Tractat. de mercurio dulci puluato, quem adolescens quidam XV. annorum ad grana XV. hausit, ast sexto post haustum die vitam finit, Quedlimburgi, c10 lccciii.

rialibus haud debite praeparatis inductis (§. cit.), similes, partim prompta mercurii remediorumque, exinde paratorum, cum salibus unio. Cum enim salia reliquas particulas fluidas in humoribus nostris gravitate specifica superent (per princip. phys.), mercurialia cum iis, tanquam corpora specificè grauiora, fortius, quam cum aliis, cohaereant (per ead. princip.), adeoque, si cum multis particulis salinis hoc fit, acria reddantur, necesse est. Posterius vero ex stasium et obstructionum, et quidem iam praesentium maiori obfirmatione, aut noua nondum factarum excitatione, concludere possumus. Nam mercurialia ob acrimoniam suam impetuose agunt, hincque obstructionibus, cum obfirmandis, tum de nouo producendis, certissimam praebent ansam, dum actio illorum maior est resistentia partium solidarum, obstructiones adeo, sensim sensimque alias referendas, fortius compactura, aut humores viscidos per minimos celeriter propulsura (8) canales, et spasmos

(8) Ne contradictionem admittamur, dum hic adserimus, quod verissimum, salia, cum mercurio iuncta, tenaces valide resoluerent liquores, hanc tamen vim efficaciamque non simul et semel, verum successiue atque pedetentim exercent. Iam vero in nostro exemplo humores, qui prius resoluti fuerunt, e corpore non profertur.

D

mos inductura. Ex quibus luculenter perspicitur, mercurialium in corpore nostro effectus sic etiam in noxios degenerare (§. VIII.).

§. XI.

Nunc alter in regimine excessus, quem (§. praecedent.) ut adhibendorum mercurialium contraindicans constituimus, considerandus venit; nimius scilicet calor. Ordinarii enim mercurialium in salutem corporis tendentes effectus, in detrimentum eius hoc modo conuertuntur, magnamque debilitatem, cum exinde prouenientibus malis, relinquunt. Sub nimio enim aestu partes corporis solidae iam per se relaxatae et quodammodo debilitatae sunt, et fluidae, dum subtiliores et laudabiles particulae auolant, spiffescunt, hincque ad iustam nutritionem ineptae redduntur. Quando igitur sub eiusmodi statu mercurialia praebentur, non potest non fieri, quin hae in solidis fluidisque partibus mutationes augmenta capiant. Fibrae enim corporis, ob calorem distentae, non sufficienter in globulos mercuriales reagentes, magis adhuc distenduntur et elongantur. Omnibus ita relaxatis, por-

que

bantur, adeoque, cum reliqui re- semper remanent humores. Ipsi
soluuntur, iterum spiffitudinem ad- quoque spasmī, a mercurialibus
quirunt, et hinc, licet mercurialia eiusmodi proficiscentes, huic fluido-
salibus potenter armata sint, viscidī rum tenacitati multum vellicantur.

que organorum colatoriorum laxius patentibus, magna quoque humorum nutrientium profusio contingere, ob eamque notabilis virium deiectio subsequi debet.

§. XII.

Diaetae non minus sub mercurialium vsu, ne inconueniens sit, probe memores simus, quia, si contrario sese habet modo, vsus iste plane exulet, necesse est. Quodsi enim cibi acidi, nimis pingues, dyspepti, nimis saliti, etc. ingerantur, humores viscidi, tenaces, acres prodeunt, et mercurialia inimicam induunt naturam. Quisque hinc facile videt, humores tunc spissos euadere, dum ex eiusmodi incongruis cibis generantur, atque adeo varias corpori inferre noxas. Mercurialia vero ab his mortificantem mutuuntur indolem, ob causas iam alibi (§. X.) memoratas. Ex quo nullum esse potest dubium, quin eorum effectus vehementes in corpore humano excitaturi sint turbas, multasque molestias, in perniciem humanae fabricae tendentes, creaturi.

§. XIII.

Ex haecenus dictis (§. VIII-XII.) in proclui est determinare, quid sint effectus mercurialium, incongrue redditi. Constituunt nimirum eos irritationes solidorum iusto fortiores, a mercurialibus factae, et

impeditae fluidorum viscidorum resolutiones. Cum enim effectus isti non nisi ab incongruo mercurialium usu natales adquirant (§. *cit.*), sub hoc vero acrimonia iisdem concilietur (§. *cit.*): liquet, irritationes eorum, quibus in solidas perfunguntur partes, ordinariis maiores esse futuras. Hinc iam ex parte fluidorum turbantur resolutiones: siquidem solida, spasmo, a forti irritatione, quadantenus constricta, in fluida valide agere nequeunt; ex parte autem, dum viscidi in corpore retinentur humores, hincque resoluti visciditate iterum imbuuntur (§. X. 8.), atque eorum copia mercurialia quasi obruuntur.

§. XIV.

Hucusque (§. VIII-XIII.) de incongruo mercurialium usu, et dependentibus inde effectuum eorum in damnosos transmutationibus disputata sufficiant. Superessent quidem adhuc plura eiusmodi contraindiantia, v. gr. respectu morborum, subiectorum, etc. similiter considerationem promerentia: verum, cum nihil lucis ad argumentum nostrum explicandum adspargant, ex aequo et iure hic praetermitti possunt. Morbi enim et subiecta, quae per se et natura sua mercurialium usum non admittunt, nihil ad praesentem, de quo disputamus, adfectum ingenerandum conferre valent; quia eiusmodi remediorum usus in iis vel plane exultat,

lat, vel ab empiricis solum admittitur. Quid? quod licet sit admissus, nunquam tamen, quantum scimus, ab isto incongruo vsu *arthritis* oborta est. At enim vero, cum mercurialia tanta extra morbos non adsumantur quantitate, quanta ad hunc adfectum inducendum requiritur, et experientia, quod non aliter hic morbus ab ista oriatur causa, confirmet (9), haud difficulter perspiciamus, nobis cum morbis rem esse. Verum hi sunt eiusmodi, in quibus mercurialium vsus non per se, sed circumstantiarum tantum quarundam intuitu prohiberi debet. Et ne quidem illi omnes ad scopum nostrum faciunt. Quare eos hic non attingemus, sed in specialiori, nunc subiungenda, tractatione, eorum, quoad opus fuerit, iniiciemus mentionem.

SECTIO ALTERA,

QUOMODO ARTHRITIS INCONGRVI MERCVRIALIVM VSVS EFFECTVS EVADAT, DEMONSTRANS.

§. XV.

Antequam vero ad reliqua descendamus, quaedam, ipsius arthritidis naturam spectantia, praelibare, et ex Pathologorum monumentis huc transferre, a re proposita non erit seiunctum. Arthritis, vi etymolo-

D 3

(9) Confer, infra §. XXII.

giae, dum ex voce ἀρθρον, quae articulus audit, formatur, articulorum adfectum denotat. Sola autem haec notio, cum varii articulos infestare possint morbi, ad hunc ipsum dignoscendum minus sufficiens est, sed aliae adhuc accedere debent determinationes. Est itaque dolor lancinans ligamentorum, articulationes ossium firmantium, a materia quadam irritante vel distendente, in iis stagnante, proueniens. Verum has ipsas partes mali sedem constituere, inde elucet, quia nunquam illud, nisi idiopathicum, sese manifestat. Non autem ligamentis, stricte dictis, hae causae inhaerent, sed iis etiam immediate annexis partibus, atque eorum interstitiis et cavitatibus. Connectuntur vero ligamenta haec, vt Anatomici amplius demonstrant, partim cum periosteo, quod in ea parte, vbi ossibus inferuntur, abscedit, illaque amplexando inuoluit, tuncque peridesmium vocatur (10), partim cum tendinibus quibusdam musculorum (11); atque hinc in has quoque partes mali se-

(10) Egregie sic docet illustris inquit, haec (siue ligamentum cap-Philippus Adolphus BOEHMERVS, sulare extremitatis inferioris ossis Patronus et Praeceptor noster sum-brachii) tela ligamentosa, cuius fila-menta diuersimode se inuicem de-turion. Osteologie. p. 33. §. LXX. cussant, corroborari videtur. Ast
(11) Vnicum huius rei exem- quam maxime cauendum est, ne pro- plum adduxisse sufficiat ex WINS- filamentis ligamentosis fibras quas- LOVII Expositionis Anatomicae etc. dam tendinosas musculorum habea- Tom. I. p. 321. §. 270. Capsula, mus, quibus quam maxime adhaeret.

LXX §. 270. Capsula, mus, quibus quam maxime adhaeret. (1) Se-

quomodo Arthritis incongrui mercurialium usus effectus etc. 31

des se diffundit. Cavitates, quas sedem arthritidis etiam constituere diximus, sunt vel illae, quae variis ligamentorum stratis, et ligamenti diuersis, in vnum quasi coeuntibus (12), interferuntur, vel, quae infra articulationes ossium, a capsularibus ligamenti formatae, inveniuntur.

§. XVI.

Omnis cum dolor certum quendam fibrillarum neruearum tensionis gradum (13), qui vel ab irritatione, vel distensione earundem proficiscitur, supponat (per princip. pathologic.): consequitur, vt omne illud, quod neruofas fibras, in articulorum ligamenti obuias, irritat vel distendit, arthritidem inducat. Nemini itaque haec consideranti, quae de arthritidis ortu in defini-

Separatis ab eadem musculis laxior et amplior esse videtur, quam in statu naturali, quumque iis adhuc annexa est. *tius involucri cartilagineo, quam texti ligamentosi speciem praeseferunt. etc.*

(12) Confer WINSLOVIVM loc. cit. p. 316. §. 250. dicentem articulationem acromii cum extremitate vicina claviculae in tota circumferentia pluribus paruis ligamenti robustissimis, ab vno esse ad alterum excurrentibus, corroborari. Ligamenta haec sibi admodum vicina esse, atque circum articulationem ita constringi, vt eandem abscondant, et po-

(13) Gradus hic tensionis distincte determinari nequit, cum tam ratione subiectorum, quam suae ipsius indolis, qua modo maior, modo minor reperitur, magnopere variet. Generaliter saltim ponere licet, hunc tensionis gradum illo maiorem esse, sub quo gratas sensationes accipimus. De quo amplius conferri potest Ernesti Antonii NICOLAI Diss. inauguralis de Dolore.

finitione (§. XV.) adseruimus, iam mira videbuntur. Quoniam autem humores, sub statu naturali blandi, irritationem vel extensionem (14) illam efficere nequeunt: in aperto est iudicare, eos acrimonia, visciditate coniuncta, imbutos (15), aut alia acri materia refertos esse debere, si memoratas actiones, arthriticos dolores socios habentes, proritant. Omne igitur, quod acrem humoribus diathesin et spissitudinem infert, vel corpus quoddam alienum, in iis praesens, acrimonia inficit, eorumque in articulorum ligamentis stagnationem adiuuat, hoc arthritidi ingenerandae fauet. Verum hae stagnantes materiae modo quadantenus mobiles sunt, et ab vno ad alterum articulum transmigrant, modo vni loco infixae immobilesque inhaerent: priori in casu *arthritidis* dicitur *vaga*, posteriori *fixa*. Nos in praesenti de vltima sermonem habebimus, quia haec

fal-

(14) Obiici hic possiet, humores optime mixtos distensionem quoque vasorum, et hinc dolorem, vti v. gr. in cephalalgia sanguinea videre est, excitare posse. Sed huic dubio diuellendo demonstrationes angiologicae eximie conueniunt, euincentes, directionem vasorum, articulos aduentium, impedire, quominus sanguis cum impetu et larga quantitate ad ligamenta haec deferatur. Vascula enim simul ac e maioribus truncis propullulant, sta-

tim varie flectuntur et reflectuntur, priusquam ad articulos iter dirigunt. Conf. WINSLOW in *Exposition. Anatomic. Tom. 3. pag. 32. §. 128. p. 37. §. 145.* et passim alibi, itemque Henricus Albertus NICOLAÏ in *Dissert. de Directione vasorum pro modificando sanguinis circulo.* Argentorat c10 lxxxv.

(15) Videatur praeprius hac de materia b. Friderici HOFFMANNI *Patholog. special. Sect. IV. Cap. VIII. et XI. a Perillustri BÜCHNERO edita.*

saltem ab ea causa, quam nunc singulariter demonstrabimus, originem ducit.

§. XVII.

Agedum ergo arthritidis originem, his de natura et causis eius, ad propositum sufficientibus, suppositis (§. XV. XVI.), ex mercurialium effectibus, per incongruum usum incongruis redditis, demonstremus. Liquet autem, nisi omnia me fallunt, facillime, ipsi huius originis *demonstrationi* praemittendam esse illius *explicationem*. Exposituris ideo nobis arthritidis ex mercurialium efficacitate incongrua reddita originem, in id attentio dirigenda erit, ut *primo* circumstantias et determinaciones quasdam quarum deficiente concursu arthritidis ab hac causa non progignitur, exponamus, et *deinde* eius oriundae modum, qui prono alueo inde deriuatur, adiungamus.

§. XVIII.

Scilicet non a quibuslibet mercurialium in corpus humanum effectibus, ob incongruum eorum usum a scopo aberrantibus, nec semper iisdem, a quibus semel natales accepit (16), articularis hic enascitur morbus:

(16) Extra omnem dubitationis inscriptio indicat, differimus, non aleam sic positum esse existimamus, pro vniuersali, sed particulari hoc nos, quando de arthritidis ex mercurialium incongruo usu ortae, sicut venditare adfertum.

E

bus: sed, vti iam innuimus (§. XVII.), quaedam nouae determinationes, quod tam a priori, quam posteriori patet, accedant, est necessitatis. Intererit igitur nostra, vt earum consideratione defungamur. *Primo* loco sese offerunt ex morborum classe *lues venerea* et *scabiosus adfectus*, qui, ob miasma, ipsos fouens et excitans (17), per se materiae ad arthritidem producendam idoneae, generationi velificantur. *Dein* $\delta\sigma\sigma\epsilon\omega\nu$ mercurialium, in his morbis oblatorum, habenda est ratio; quippe quae, vel interne in lue venerea exhibitae, vel externe in scabiosis adfectibus (18) adplicatae largae esse debent.

Hinc

(17) In lue venerea miasma, vt videtur, volatile, acidum, morbum sustinet; quod, non est huius loci, probare. Conf. §. VII. Miasma scabiosum vero non vnus eiusdemque deprehenditur naturae, dum modo alcalinam, modo acidam modo muraticam falsam indolem monstrat. Confer **CEL. HUNDETMARXII** *dissert. de scabie artificiali*, §. III, p. 8. *Lit. fae MDCCCLVIII.* ventilatam. Quaecumque autem adsit miasma, hoc humoribus lymphaticoferosis viscidam indolem vel induit, vel eam coniunctam gerit, vel saltem vascula ad compingendos, quos vehunt, humores irritat atque disponit, hincque in dictis morbis humores isti visciditate et acrimonia im-

buti sunt. Quis ergo dubitaret, eos ad arthritidis generationem pares existere? Quid? quod in lue venerea nonnunquam dolores arthritici sentiantur. Videfis honorifice iam citatam **PERILLVSTRIS BÜCHNERI** *Pathologiam specialem*, sect. VIII, Cap. IV, §. III.

(18) Quamuis nos haud fugiat, in lue venerea externe quoque mercurialia ad ptyalismum prouocandum adhiberi, silentio tamen hoc praetermittimus, quia dicta remedia eundem sic, quem interne adsumta, effectum praestant, adeoque, si ab isto turbato arthriti oritur, ad modum exhibendi respiciatur, non necesse est, nisi quod ab ea adplicatione maior copia mercurialium particu-

la-

Hinc iam perspicitur, non a quibuslibet huiusmodi remedium effectibus, scopo minus respondentibus, nostrum morbum enasci, sed modo ab his, modo ab illis; prout haec medicamenta diuersum in finem adhibentur, adeoque non iidem oriuntur effectus. Hac enim ratione, si in lue venerea sub dictis circumstantiis in usum vocantur eiusmodi remedia, quod fit ad resolutionem, vel saluationem obtinendam, in scabie vero, ad illam extirpandam: noster adfectus nunc ex resolutorio, nunc saluatorio, nunc dissolvente et retropelente incongruo reddito effectus, ortum ducit.

E 2

§. XIX.

larum, facile iterum confluentium, corpus intret. Simili fere ratione comparata est interna adsumtio remedium istorum in scabie, illam quippe retroagentium. Repellitur nimirum ea quidem ad interiora per fortiora purgantia, sicuti CL. HUNDEBTMARK in *allegat. dissert. §. VII.* annotauit, adeoque etiam per huius generis mercurialia: verum cum nec ILLE inter adfectus, exinde prognatos, arthritidem numeret, nec alibi, quantum quidem scimus, quicquam de ista arthritidis origine conscriptum exstet, iure haec silentio premam. Non tempero tamen mihi, quin hac occasione detestandum illorum Chirurgorum, bar-

bam tondere edoctorum, morem, a quo quisque merito abhorreat, commemorem, quo, mercurium viuum, pinguedine extinctum, in scabie sine discrimine inungendo, vel in cingulis inclusum circa nudum abdomen adplicando, vtuntur. Maximae enim corpori tunc saepius inferuntur noxae, vti CEL. HUNDEBTMARK in §. VI. p. 25. *cit. dissert.* exponit, immo ipsa arthritidis. Num vero eiusmodi quid emunctae naris Chirurgus molietur? Neutiquam sane. Vtilitas itaque et necessitas Chirurgiae tantopere se commendant, vt Medicus eadem plane carere nequeat. Sed haec obiter dicta sunt.

§. XIX.

Quodsi nunc huiusmodi circumstantiis (§. XVIII.) incautus mercurialium vsus (§. IX-XII.) sese adfociat, hincque effectus istorum remediorum incongrui reddantur (§. *cit.*), arthritis suam nanciscitur originem. Contemplemur igitur eius fiendi modum (§. XVII.). Oritur autem duplici modo, et quidem sub interna mercurialium adfuntione, et externa eorundem adplicatione (§. XVIII.). Priorem modum sic determinabimus. Ab effectibus mercurialium, incongrue redditis, v. gr. saluatorio (19), acres moleculae mercuriales, illos antea ex parte inducentes (§. XIII.), in corpore retinentur (20), quod ex istorum effectuum natura liquet (§. *cit. cit.*). Hae, cum ceteris humoribus per totum corpus circulantibus, in articulorum ligamentis, ob infra allegandas causas, subsistentes, ea vel irritando vel distendendo ar-

(19) Nos hic exponimus solum arthritidis ab iis mercurialium effectibus, salutarem scopum abnuentibus, ortum, de quibus per experientiam hoc innotuit, cuiusque exempla mox addemus. Nulli interim dubitamus, quin ab aliis etiam huiusmodi effectibus e. gr. resolutorio proprie dicto, purgante, scabiosis morbis ad interiora retocante (§. XVIII.) etc. dolores arthritici nascantur sint originem.

(20) Non solae autem hae in

corpore remanent, sed humores etiam viscosi acresque (§. XIII.). Hinc facile consequitur, ut si quoque ad arthritidis praeventum aliquid conferant, mercurialibus tamen priorem hoc in exemplo locum sibi vindicantibus. Aliter autem de causa materiali huius morbi, a scabie repropulsa profecti, sentiendum est. Hic enim, quemadmodum etiam §. indigitat, viscidiae impuritates praedominantur.

arthriticos gignunt dolores (§. XVI.). Sub externo autem mercurialium usu hic inducitur morbus, quando, ob vim repellentem (§. II.), scabiosam materiam ad interiora et artuum ligamenta, quae ibi ex mox euoluentis rationibus moram necit, adeoque, ob suam ipsius indolem et moleculas mercuriales intermixtas, arthritidem inuitat, retrudunt.

§. XX.

Ordine iam ducimur ad arthritidis, ex mercurialium effectibus, incongrue redditis, enascentis demonstrandam originem (§. XVII.). Cum autem adseruerimus, illam modo ipsa mercurialia, modo materiam scabiosam retroactam pro causa proxima, quod ex modo fiendi enarrato (§. XIX.) adparet, agnoscere: quisque a nobis exiget, ut primo mercurialia eam proxime producere, ac dein, idem a materia scabiosa fieri demonstremus. Quo igitur in primi momenti demonstratione exacte, quantum quidem vires concesserint, versetur, ita eam instituemus, ut, antequam mercurialia, incaute data, vere arthritidem inducere, probemus, huius ipsis adscripti effectus possibilitatem euincamus. Quoniam ideo, ut promissa persoluamus, illud omne, quod fibrillas nerueas in articulorum ligamentis irritare vel distendere valet, arthritidem efficere potest (§. XVI.): prona hinc fluit consequentia, ut mercurialia, acria

reddita, eandem etiam producere possint. Iam vero mercurialia sub incongruo usu acrimoniam adipiscuntur (§. X.). Nullus itaque haesitabit, quin sub isto usu memorata remedia dolores progignere possint arthriticos.

§. XXI.

Progrediendum porro erit, ne de via declinemus, ad ipsam arthritidis originem, ex effectibus eiusmodi incongruis redditis mercurialium interne datorum (§. XX.) demonstrandam; quippe quae adfero nostro luculentissime corroborando eximie inferuit. Enimuero non prolixiores hic erimus; sed de hoc solummodo illud demonstrabimus effectum, nimirum saluatorio (§. XIX.), quem iam antea ex eiusmodi horum effectuum, ab interno mercurialium usu prodeuntium, numero nostrae attentionis argumentum in hac commentatiuncula futurum, promissimus (§. cit. 19.). Attamen, quoniam varia effectus ille incongruus reddi potest ratione (§. X.), nobis determinare incumbit, quinam sit iste effectus. Iam vero, ne ficta hic loqui videamur, ita differere nobiscum constituimus, ut nullum ex cunctis hic adsumamus effectum, quam qui ab incongruo mercurialium usu, (§. X - XIV.) et imprimis (§. X. XII.) adducto, sub allegatis (XVIII.) conditionibus ortum necessario trahere debet. Atque id ipsum de effectu saluatorio,
ita

ita incongruo reddito, vt suppressus fuerit, contendimus. Nam, cum mercurialia sub incongruo vsu (§. *cit.*), et magis adhuc, si circumstantiae (§. *cit.*) memoratae illi adfociantur, salium spiculis nimium obuelentur: consequitur, vt tantam in organis salivae secretoriis efficere debeant irritationem, quantam nimia eorum contractio, id est, spasmus, excipit. Atque adeo iste incongrui huius effectus (§. XIII.) gradus, qui per salivationem iam praesentem, exinde vero suppressam, vel, si non adfuerit, non euenientem determinatur, emergat, necesse est. Quin ipse hic spasmus a diaeta et regimine minus exquisito magna sumet incrementa.

§. XXII.

Explicatio nunc non amplius difficultatibus obruitur, quod scilicet et quare arthritis ex effectu salivatorio, ita incongruo reddito, vt suppressus sit (§. XXI.), suos ducat natales. Certissimum enim est, quod, quia mercurialia viscidique humores nec per salivales ductus (§. *cit.*), nec externam corporis peripheriam (§. XI.), nec denique per renale cribrum (per princip. pathologic.), ad minimum parcissime saltem, tunc excerni possunt, eorundem contingere debeant stagnationes. Namque mercurii moleculae, quod ex incongruorum eorundem effectuum natura liquet (§. XIII.), spasmos inducunt, qui in ipsis, quas obsident, partibus, imprimis, si hu-
mo-

mores quoque tarde vasa permeant, vti hoc in casu ob visciditatem contingit, stagnationes atque stases coniunctas (21) habent (§. X.). Ex his itaque satis adparere videtur, ab incongruo isto effectu mercurialium stases produci; nondum autem sic euictum est, hoc in ligamentis articulorum euenire, adeoque arthritidem exinde ducere originem. Nostra ergo adhuc interest, si rem nostram in vado esse velimus, vt argumentis adferamus idoneis, stasin illam in ligamentis contingere modo memoratis. Quoniam autem hae partes, vt statim demonstrabimus (§. XXIII.), ad concipiendam stasin propensissime deprehenduntur, sponte inde fluit, vt cum mercurialium stases a praedicto oriantur effectu, in istis quoque hoc accidere debeat partibus (22).

§. XXIII.

(21) Confer. *Celeb. Ioann. Frieder. CARTHEUSERI Dissert. de diuersis obstructionum causis et remediis*, Francofurti ad Viadrum, clodoccl, ventilatam, et quidem eius §. IV. V.

(22) Exemplum quoddam enarratu dignissimum, quo, quae adfirmavimus, extra omnem dubitationis aleam ponantur, a *Viro Excellentissimo, D. Petr. Immanuel. HARTMANNO, Patrono atque Praeceptore nostro summe deueniando*, omnibus quod dicunt, ve-

lis remisque, sicut adsolet, obseruatum, nobisque relatum, cum lectoribus nostris hic communicabimus. *Excellentissimus ille Vir* ante annum circiter tempus a quodam viro, per totum paene corpus arthritide fixa correpto, in consilium vocabatur. Res quamuis desperata esset, *Ille* tamen nihilo fecius cum remediis quibusdam antarthriticis curationem incipiebat,

Num valeat docta sic minus arte malum,
experturus, exhibendo scilicet decoctum

§. XXIII.

Momentum itaque illud, quare mercurialia in articularum ligamentis potissimum stagnent, nostram adhuc requirit probationem (§. XXII.). Antequam vero

coctum quoddam resoluens temperatum, *Tincturam antimonii acrem* essentiae Pareirae brauae nuptam, et *sulphur auripigmenti incorretum* refracta dosi. Postquam per quinque dies haec in usum vocata erant medicamenta, larga ex improviso suboritur saluatio. Mirum quidem *Viro Excell.* hoc videbatur, non tamen ab inchoato semel praefictorum remediorum usu desistebat, exactiusque solum, quoad regimen et diaetam, vitae genus imperabat, ne saluatio turbaretur. Elapsis demum viginti tribus diebus hic fluxus sponte sua cessabat, atque arthritici dolores sese remittebant. *Vir Excellentissimus* in singularis huius phaenomeni causas inquirens, omnesque aegroti circumstantias exquisite ponderans, sequentem, quae ipsi acciderant, ab illo accepit relationem. Triginta abhinc annis illum Viennae ex vehementissimis doloribus rheumatico - arthriticis laborasse primum, et a Medico nescio

quod miasma venereum subolasciente, et quem in auxilium accesserant, remedia, ptyalissimum momentia, sibi data fuisse. Verum non multo post alium, nescio quo casu accedentem, hunc morbum minime per huiusmodi remedia sanari posse adfirmasse, adeoque antisialagoga ad eum debellandum ipsi exhibuisse, sed curationem ad finem non perduxisse. Ipsi enim fato coacto, Ratisbonam migrandum, ibidemque, denuo Medicum quendam in consilium fuisse trahendum. Hic, prioris methodum ridens atque reiiciens, nullam ipsi, nisi per saluationem, ab hoc malo liberationem promississe, atque ideo sialagoga in usum vocasse. Saluationem, ab his excitatam remediis, non rite successisse, sed, cum regimen diaetamque minus congruam elegisset, iterum suppressam fuisse, et ab illo tempore arthritidem per longam annorum seriem suas luisse tragodias.

F

vero huic satisfaciamus proposito; quaestio nobis obvenit dirimenda, an mercurialia ad has adpellantur partes. Adfirmando utique respondemus, non leuioribus commoti argumentis. Quae enim (§. I.) demonstrauimus, et in (§. cit.) adiecta adnotatione adduximus, nec non obseruationes, non aequariorum, vbi mercurialia in demortuis in ipsa penetrasse ossa (23) visa sunt, pro nobis militant. Sed huic non diutius inhaeremus materiae. Eruiamus potius, cur haec remedia in hisce partibus subsistant, causas. Atqui in earum censu ipsa ligamentorum densa atque firma structura (24) locum sibi vindicat, siquidem ob quam vascula in iisdem minima parum saltem dilatari, adeoque per ea mouenda non nisi tarde pro-
 vehi possunt. *Deinde* motus humorum in his partibus, inprimisque corporis extremitatibus, propter distantiam a corde valde imminutus atque retardatus (§. XVI.), huc referri debet. Qui sine dubio causa quoque praecipua existimandus est, quare manus et pedes arthritidis frequentius occupet (25). Porro spasmus etiam, quem mercurialia, acredine imbuta, ligamentorum vasculis illisque ipsis inferunt (§. cit.), ex causarum grege non est excludendus. Tum succedit adhuc, quae sub incongruo mercurialium vsu adesse deprehenditur (§. XI. et cit. t.), spastica externi corporis habitus, a frigore inducta, contractio, ad ipsa facile pertingens ligamenta. Quod si *denique*

(23) Videtur BOERHAAVI
 praefationem in *Aphrodisiacum*, quae,
 patrio sermone conuersa, Bremae
 el. l. cccxxxvii. prodit, vbi in §. XLIX
 pag. 60. Edit. cit. mercurium in ipsam
 cranii diploen penetrare adfirmatur.

(24) Confer. WINSLOW *Libr.*
cit. Tomo primo, §. 29. 30, pag.
 259.

(25) Videantur *Acta Eruditor.*
Lipsensium, Anno clc lcccxvi.

quomodo Arthritis incongrui mercurialium usus effectus etc. 43

que ipsorum humorum, visciditatem adeptorum, atque hinc per se quidem lente progredientium, ob impetuofam vero mercurialium actionem vehementer per vascula propulforum (§. X.), ratio habeatur, non obscure intelligitur, quare mercurialium in ligamenti stagnatio potius, quam in reliquis corporis partibus, accidat, adeoque arthritis, et quidem fixa, nascatur (§. XV. XVI.).

§. XXIV.

Verum enim vero non minus a materia scabiosa, particulis mercurialium remixta, ad interiora repulsa, arthritis ortum ducit (§. XVIII-XX.). Interim nostram, qua id adfirmavimus, auctoritatem ad Lectores, huius de adferti veritate convincendos, minime sufficere, adeoque, si aliorum *Cel. Virorum* nobis non restarent observationes, rem nostram declamatam futuram, satis superque largimur. Breuitati autem quo studeamus, vnum altervique exemplum solummodo allegabimus, haec abundantissime locupletissimeque exinde confirmatum iri, arbitrantur (26). Inuestigemus itaque iam causas, quare haec

F 2

ma-

(26) Huius rei veritatem viadicant b. HÖFFMANNVS in *Therapia speciali*, a Perillustri BÜCHNERO §. XXII.; et Ioannes Iacobus SCHEVCHERVS in *Ephemerid. Natur. curios.* Volum. II. pag. 100. obseruat. XL, quam cum Lectore hic communicabimus. Inscriptum vero: *ex unguento mercuriali arthritis fixa scorbutica.* Ipsa obseruatio sequentis est tenoris. *On. Casp. L. coniux, aestate anno 1718.*

Symptomatibus variis hypochondriacis vexata, ingruente autumno insicitur; ob salium ad superficiem cutaneam euolutionem, scabie humida, tractata a Medico ordinario D. Ioh. L. M. absorbentibus, sanguinem acrem scorbuticum corrigentibus, ac diluentibus, abstrahere iussa a topicis. Ast aegra methodi huius rationalis pertaesca, a Maria Buchera, rustica medicatrice, persuaderi se patitur ad unctionem cum unguento mercuriali, quod videbatur con-

BRAB

materia scabiosa in articulorum ligamentis subsistat, eaque distendendo et irritando dolores creet arthriticos. Miasma scabiosum a mercurialibus, ob causas (§. II.) adductas, retrusum, quamprimum ad ligamenta haec defertur, in iis obicem, quominus ulterius progredi possit, inuenit. Nam partim quaedam ex iis causis, ipsius nempe a frigore et ipsa materia retropulsa excitatus, praecedenti §. enumeratis, symbolum hic adiiciunt; partim vero maior in his partibus contingens materiae istius accumulatio, tanquam proxime illius sedi subiacentibus (27), stagnationi producendae fauet. Mercurialia autem quoque in his subsistere partibus, non difficulter liquet, quia istam materiam prae se propellunt (§. II.), adeoque, ea moram ne-ctente, in vasculis illis ligamentorum minimis, vel eorum cauitatibus (§. XVI.), ulterius viam facere nequeunt. Sed vela scriptiunculae hujus nunc contrahere iubeor, adeoque

Mens Deo grates cane: redde grates

Mens Deo: hunc sensus perat, et remotis

Quisquis est fibris vigor, et beaurum

Nomen honoret.

BVCHANANVS.

constare axungia porcina cum mercurio viuo. Hoc remedio bis iniunctae euanit prorsus scabies, sed mox incidit in dolores ingentes articulorum scorbuticos, et membrorum immobilitatem. Cutis, qua parte fuerat iniuncta, contraxit nigredinem veluti a fuligine. Detecto errore a Medico ordinario, rursus in consilium vocato, restituitur aegra intra trium hebdomadarum spatium, imprimis decoctis liquorum, absorbentibus, cinnabarinis, saturninis, specifico item antifebrili, quibus lymphæ scorbutica, passim in glandulis articulorum et cutaneis coagulata, fuerat resoluta.

(27) Scabiosi nimirum adfectus potissimum circa articulationes ossium in cute adparent. Confer. CEL. HVDERTMARK cit. diff. §. V, p. 13.

PRAE-

PRAESTANTISSIMO DOCTISSIMOQVE
CANDIDATO

S. P. D.

ANDREAS ELIAS BÜCHNER,

ORDINIS MEDICI SENIOR ET H. T. DECANVS.



*Habent omnino aliquid stimuli atque excitamenti talia exem-
pla, qualia haecenus nonnulli erectioris ingenii iuuenes
ex ordine nostro honorifice stiterunt, quorumque nume-
ro TE propediem etiam es adiuncturus, PRAESTAN-
TISSIME CANDIDATE! Scilicet non contentus fuisti, quod per inte-
grum illud, quod laudabiliter emensus es, academicae vitae curriculum
incomparabili diligentia atque assiduitate plerorumque celeberrimorum
virorum, in hac Academia salutarem doctrinam profitentium, scholis in-
teresses, domique audita lectis conferres, et in succum, quod aiunt, san-
guinemque conuerteres: verum etiam, superato nunc hoc stadio, id agis,
vt publicum, idque maxime gloriosum, insignium profectuum **IVORVM**,
in scientia medica acquisitionum, edas documentum. Quo consilio non
solum ipse, haud inuita Minerva, nec alieno Marte, et in proverbio est,
dissertationem conscripsisti, tam dogmaticae, quam practicae medicinae
parti apprimè idoneam: sed eandem quoque, nullius praesidio reclus mu-
nitusque, mascule ab aduersariorum impugnationibus is defensum atque
vindicatum. Proinde facere non possum, quin, quem ex auditorum
meorum numero ob indefessam industriam, eminentem discendi cupidita-*

rem, humanissimosque et honestissimos mores dudum dilexi, eundem nunc quoque, ad altiores dignitatis medicae gradus aspirantem, sinceris ingenisque, prosequar votis, propensam animi mei voluntatem locupletissime testaturus, forsanique apud alios aliquid commendationis habiturus. His enim profecto votis si annuerit Deus, ut certissime annuet, contingent TIBI, CANDIDATE DIGNISSIME, ubicunque terrarum fueris, omnia, quaecunque institues, exoptatissima atque fortunatissima, habebunt. que omnes, qui ad TE pertinent, aegroti, TVAE curae permissi, habebit denique patria, TE honestissimum ciuem recuperatura, de quo magnifice laentur, prolixique sibi gratulentur. Inter hos autem felicissimos rerum TVARVM successus nunquam mei obliuiscitor, gratam amicumque TVI memoriam perpetuo seruaturi. Vale. Dat.

Halae Magdeburgicae, d. XX. Decembr.

c1o IocCLIX.

PRAENOBILISSIMO ATQVE EGREGIE DOCTO


DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

D. PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMER.

Vix dies praeteriit, cum praeclaro quodam specimine, cuius felicem successum in recenti adhuc omnium memoria esse confido, eruditionis et profectuum, in Chemicis acquisitorum, laudabile edideris documentum. Iam vero ad cathedram Tua Te rursus euocat virtus, quo et nominis et eruditionis celebritate emineas. Reapse omnibus monstrasti, quam omne punctum merearis, quam tuto Tibi ciuium salus committi possit

possit, quam dignus sis duplici, mox ex merito Tibi conferendo honore. Quam enim Medicinam Chirurgia exornandam duxeris; Gratosus Ordo Medicus Te quoque duplici honore condecorandum, dignum aestimavit, Tibique praemia, singulari doctrina, et morum spectatissimorum laude comparata, ex merito decrevit. Mearum igitur partium esse iudicavi, ut Tibi, CANDIDATE LECTISSIME, de die, qui felix ilhuxit, deque honoribus Academicis gratuler. Gratulor vero non Tibi tantum, sed etiam reipublicae litterariae, patriae dilectissimae, nec non civitati, quae Tuo in posterum fruetur auxilio. Adspiret Summum idque benignissimum Numen ausibus Tuis omni benedictionis genere, faxitque, ut Deo, Tibi aliisque vivas quam diutissime, Teque aut vixisse, aut Medicinam et Chirurgiam coluisse nunquam poeniteat. Vale, meque quod facis, sempiterno prosequi perge amore. Halae d. XX. Decembr. c1700. CCLIX.



VIRO

PRAENOBILISSIMO AMICISSIMOQUE,

CHRISTIAN. EBERHARDO LOT,

SVPREMAE IN VTRAQUE MEDICINA DIGNITATIS

CANDIDATO LONGE DIGNISSIMO.

S. P. D.

PETRVS IMMANVEL HARTMANN.

Ego vero maxime amicitiae succensco nostrae, quae mihi, gratulantes ad TE daturis litteras, plurimum officii, quo minus tam honorificenter ampleque TE collaudem, quam morum honestas suavitatesque virtutis



virtutis consecratio, ardentissimus litterarum, et seueriorum, et elegantiorum, amor, eminentioresque in salutari scientia progressus, quos facisti, requirerent, nisi vel iustissima celebratio, quae ab amico proficiscitur, apud alios adulationis fieret suspecta. Sed, veri conscientia tranquillus, non mouebo profecto iis, quae in rebus, ad amicum pertinentibus, amici testimonium infringere, suaeque priuare auctoritate, vulgo putantur. Scilicet tam vera sunt, quam quae verissima, quod per vniuersum illud, quod in hac Academia honestissime transegesti, tempus nullam unquam praetermissi opportunitatem, cum ex illustrium celeberrimorumque ordinis medici philosophicique Professorum ore, tum ex quocunque alio, quoad eius fieri maxime potuit, proficiendi; quod in dies longius, discendo, meditando, exercendoque TE, AMICISSIME LOT, ob ingenii bonitatem erectaque indolem, in scientia medica processisti; quod et elegantiori litteraturae, praecipue Germanicae, insignem dedisti operam; quod denique morum, et totius vitae probitate atque ingenuitate cui libet TE probasti, TVAMque consuetudinem fecisti incandissimam exoptatissimamque. Proinde inter eos, qui honores medicos ornant magis, quam ab iisdem ornantur, merito es numerandus, et bene merenti TIBI honorifica haec dignitas impertietur. Quam ea animi integritate, quae summa est, TIBI gratulor, augurorque simul, ex iisdem vtriusque, et quae manu, et quae medicamentis ineditur, medicinae honoribus TIBI omnia fausta fore impostero atque fortunata. Ita felicissime viues valebisque, TVIS gaudium atque deliciae, patriae decus atque ornamentum, aegrotantibus solatium certissime futurus. Age vero! nec mei unquam obliuiscere, quippe hominis TVI amantissimi TEque sinceris votis et perpetuo desiderio prosequuturi. Vale. Ded.

Halae Magdeburgicae, d. XI. Calendar. Ianuar.

c1o Io CCLX.

Freund!

Freund! den sich die Tugend erzieht, und den die göttliche
 Weisheit
 an ihren Brüsten groß gesäugt;
 Der ihre Hobeit erkennt und der durch den Vorzug der Musen
 Ihr königliches Ansehn fühlt.
 Du bist der Freundschaft werth, Du Liebling der prächtigen
 Tugend
 Ein Blick von Dir ist Reiz und Lust
 Und eine Miene von Dir entdeckt uns Dein redliches Herze
 Das Dich verehrungswürdig macht.
 In Deiner Umarmung, o Freund, bei dem Gefühl der Entzückung
 Empfind die Dir geweihte Brust,
 Das Glück der Zärtlichkeit, das niemand für Cronen vertauschet
 Da es die Hand der Tugend schätzt.
 So göttlich lebten wir und keine stüchtige Zähre
 Bestürmte diese Götter-Lust,
 Die Seele beschäftigte sich mit nichts als wichtigen Dingen
 Die noch die Zeit entwickeln muß.
 Die Weisheit bildete Dich, und Deine gelehrige Muse
 Floh ihren Heiligthum zu,
 Der Eifer stärkte Dich, und wischte bei nächtlicher Lampe
 Den Schummer von den Augen weg.
 Und jetzt belohnt sie Dich, Du prangst mit Cronen der Ehre
 Die ihre Hand Dir ausgesetzt,
 Du eilst vom Glücke geküßt mit Ruhm und Ehre begleitet
 Dem rufenden Geschicke zu.
 O glücklich wer wie Du, durch Seine edlen Verdienste
 Ein Muster der Nachahmung ist,
 Der *** Vorsicht segne Ihn! *** Freund laß uns die letzten
 Minuten
 Des Lebens noch der Freundschaft weihn.

Johann Andreas Gercken,
 Medicinæ et Chirurgiæ Doctor.

G

VIRO

VIRO
PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO
AMICO SVO DILECTISSIMO
DOMINO
CHRISTIAN. EBERHARDO LOT

S. D. P.

FRIDERICVS LVDOVICVS KESSLER

M. C. OPPON.

Ex omni eo tempore, amice suavissime, quo Te cognoui, nihil unquam magis, quam ipsam tuam amicitiam aestimaui. Tantum enim erga Te ex consuetudine tua suscepi amorem, ut Te non diligere et amare, plane non potuerim. Quid itaque mihi gratius atque iucundius esse potest, quam ut Te iam cathedram ascendere, ac summos in medicina honores impetrare videam. Gratulor tibi igitur ex omni meo animo hunc actum solemnem, et ad hoc praemium insignis tuae diligentiae atque eruditionis, et opto precorque, ut in futurum quoque omnia tibi fausta atque felicia cedant. Felicissimum me quidem aestimarem, si ipse praesens fortunam atque prosperitatem tuam intueri, et porro consuetudine tua frui possem; sed cum mihi hoc fortuna vetat, iam abs Te peto, ut porro quoque absens me diligere et amare pergas, et ut Tibi certissime persuadeas, me nunquam amicitiae tuae, nisi summo cum oblectamento, recordaturum esse.

Vale. Dabam Halae Magdeburgicae die XIX. Decembris

MDCCLIX.

Eheu!

Eheu! fugaces laetitias sacrae
Labuntur horae; quoque serenior

Nunc vultus est caeli nitentis,

Hoc mage mox minitatur atra

In nube fulgur! Tempora fluminis

Ritu feruntur, diluio domus,

Frugem ac pecus quam ingrata saxa

Ocius in mare deruentis.

Fortuna splendens, quo pede plumbeo,

Adrepat anceps ferius; auolat

Hoc ocius crudelis, vlla

Haud lacrimis remorata multis!

Florantis aufert ocius Orphei

Euridicem fors; non Pyladis memor

Plangentis, aufert dira Orestem:

TE Orestes - ! Deliciasque meas.

Vt nocte filius qui labyrinthicis,

Errore fessus, tramite lubrico,

In colle primo quum propinquum

Morphea, membra soluta, sentit;

Somnio cernit mox comitem; in viam

Rectam reductus, fallit iter vice

Alterna, amicis dulcibusque

Colloquiis, memor haud malorum.

Extemplo linquunt Morpheus et sopor

Tristem; nequidquam somnia iam polo

Diro, reposecit; plangens Maeandris

Haeret inops, sine luce, priscis.

Sic tristibus nunc Atropum aheneam

Horas reposco planctibus aureas,

Haud iuste paucas, consecratas

Lactitiis teneris - nequidquam!

Ah fatum ineluctabile! - - Non nitor

Huius diei, (quo TIBI laureas

Iustas ouans confert Hygea,

Quoque Helicon sonat vniuerso

Gratus triumpho) tristia discubit

Langue[n]te nostro pectore nubila!

Pellenda numquam - - ni parumper

Lux procul in tenebris refulgens

Caliginosos mente repelleret

Nimbos, amicum, partem animae meae

Illoque vitam gaudiumque

Incolumi, mihi redditura.

O fausta nobis oculus aquola

Lux! Vnum Orestem reddeque sospitem;

Vna voluptatem ac salutem

Facque cito reducem precanti,

Halae Hermundurorum

XL Kal. Ian. CCLX.

Doctissimi atque experientissimi

Domini Candidati,

cognati aestumatissimi,

amici longe dulcissimi,

obtriticissimo deditissimoque

Ioanni Laurentio Damm,

LL. C. Norda-Frisoni orient.

Halle, Med. Diss., 1759/60

ULB Halle

3

004 139 615






DISSERTATIO INAUGVRALIS

DE

ARTHRITIDE,
INCONGRVI MERCVRIALIVM
VSVS EFFECTV,



QVAM

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS INDVLTV
PRO GRADV DOCTORIS
IN MEDICINA ET CHIRVRGIA

AD D. XIX. DECEMBRIS, A. R. S. MDCCCXIX.

PVBLICE TVEBITVR

AVCTOR

CHRISTIANVS EBERHARDVS LOT,
WITMVNDA-FRISO-ORIENTALIS.



— — h.c.



HALAE VENEDORVM,
E TYPOGRAPHEO VESTERIANO.

inches 8 7 6 5 4 3 2 1
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.
Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

